

STIONVM
lachrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: Et tu domine vsquequo? Vsquequo domine irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarū. Sentiebam enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles. **Quandiu, quandiu, cras et cras? Quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meae? Dicebam hæc, & flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis & crebro repetentis quasi pueri, an puellæ, nescio: Tolle lege, tolle lege. Statimque mutato vultu intētissimus cogitare cœpi, vtrum nam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid: nec occurrebat omnino audiuisse me vsquam. Repressoque impetu lachrymarum, surrexi nihil aliud interpretans diuinitus mihi iuberi, nisi vt aperirem codicem & legerem, quod primum capitulum inuenissem. Audieram enim de Antonio quod ex euangelica lectione, cui forte superuenerat, admonitus fuerit, tanquam sibi diceretur quod legebatur: Vade vede omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in coelis, & veni sequere me: & tali oraculo con-**

Matt.
19.

LIBER
festim ad te esse conuersum. Itaque con-
citus redii ad eum locū vbi sedebat Ali-
pius: ibi enim posueram codicem Ap-
stoli cum inde surrexeram. Arripui, ape-
rui, et legi in silentio capitulum, quo pri-
mum coniecti sunt oculi mei. Non in Ro. 13
comestationibus & ebrietatibus, non in
cubilibus & impudiciis, nō in conten-
tione & æmulatione: sed induite domi-
num Iesum Christum, & carnis prou-
identiam ne feceritis in concupiscentiis.
Nec ultra volui legere, nec opus erat. Sta-
tim quippe cum fine huiusce sententiæ
quasi luce securitatis infusa cordi meo
omnes dubitationis tenebræ diffugerūt.
Tum interiecto aut digito, aut nescio
quo alio signo codicem clausi, & tran-
quillo iam vultu indicavi Alipio. At ille
quid in se ageretur, quod ego nesciebam
sic indicavit: Petit videre quid legissem.
Ostendi, & attendit etiam ultra quam
ego legeram, & ignorabam quid seque-
retur. Sequebatur verd: Infirmū autem
in fide assumite. Quod ille ad se retulit,
mihique aperuit. Sed tali admonitione
firmatus est, placitoque ac proposito bo-
no, & cōgruentissimo suis moribus, quibus à me in melius iam olim valde lon-
gèque distabat, sine vlla turbulenta cun-
ctatione cōiunctus est. Inde ad matrem
ingredimur, indicam⁹, gaudet, narramus

Ro. 14